

COLUMNA MEMORIALIS,

STATUTA ET INSCRIPTA,

VIRO BONO,

id est,

ILLUSTRISSIMO ET MAGNIFICO VIRO,

DOMINO


NICOLAO

KEMÉNY,

LIBERO BARONI

DE MAGYAR GYERŐ-MONOSTOR.

CLAUDIOPOLI,



Typis Colleg. Reform. Anno MDCC LXXV.

INSIGNIA GENTILITIA.



ILLUSTRISSIMÆ FAMILIÆ





KEMÉNYIANAÆ.




Vem quidem ego, cum ex veteri Latio repetito vocabulo Virum Bonum appello; non omnibus modo virtutibus, perpetuæque ac singulari prorsus vitæ integritate instructum et ornatum dico, qua de causa Phocion apud Athenienses hoc tam insigne cognomen erat adeptus; verum etiam generis antiquissimi nobilitate; quæ sententia non minus eidem voci subjecta in Romanorum scriptis reperitur; ut qui primores civitatis, Optimates, eosdemque Bonos Viros nominarent. Utramque hanc Boni Viri notionem, re ipsa expressam et in uno homine, indivulso nexu copulatam, si ullo unquam in alio cive patriæ gentisque nostræ; in hoc certe Illustrissimo Barone NICOLAO KEMENYIO, haud dubie compertam et exploratam habemus. Quid enim illo vel generosius, vel, quod majus est, innocentius, ad nostram memoriam cuncta Transilvania natum est? Ac primum si generis vetustatem et imaginum seriem spectes; princeps in ea ducit agmen, MICOLA idemque alio nomine DESZMER cognominatus, qui jam in ipsis Hungariæ gentis et regni primis conditoribus, Orbeque alio relicto, has Europæ regiones fertilissimas occupantibus numeratur. Hoc patre usque quinque filii vel suis nominibus caniciem priscam sapientes, MIKOLA, GYÉRÖ, KABOS, RADO, et KEMENY, in




tabululario nobilissimæ gentis KEMÉNYIÆ memorantur, qui quidam omnes, si ab uno RADONE discesseris, cujus progenies in CHRISTOPHORO ex ejus posteris oriundo extincta est; genus suum per longissimas temporum ætates florentissime propagaverunt. Namque ut rem summis saltem fastigiis attingamus, e MIKOLA patris cognomine deducta prosapia, hoc ipso quod vivimus seculo, quod ad sexum pertineat virilem, in Ill. L. B. LADISLAO MIKOLA Szamosfalvensi publici Tribunalis in Transilvania Regii judice primario expiravit; e cujus tamen sorore germana AGNETA MIKOLA, Comiti STEPHANO TSÁKIO, incliti conventus Colosensis præsidii nuptum data, Comites SIGISMUNDUS et EMERICUS TSÁKII, eorumque posterii cum splendidissima HALLERORUM BORNEMISZÁRUMque familia sanguinis necessitudine conjuncti extiterunt. Deinde secundus magni MIKOLÆ filius GYÉRÖ dictus, cum longam pariter et illustrem ex se GYERÖFIORUM subolem secuturis ætatibus dedisset; desit tandem non multo ante MIKOLARum interitum in filiis GEORGII GYERÖFII, Consiliarii Regiæ Majestatis, et Comitatus Colosensis Præfecti; ita tamen, ut hinc quoque maternum hauserint sanguinem non modo Comes LADISLAUS GYULAFIUS RATOTENSIS sed etiam C. ANTONIUS KORNISIUS Göntz Ruszkensis, regii Senatores in Transilvania amplissimi, multisque nominibus aliis ac titulis excellentes. Tertio MIKOLÆ magni filio KABOS nuncupato, suos debuit natales nobilissima Kabosiorum propago, in quibus nostra memoria vigeant cum aliis, tum FRANCISCUS et LAD. KABOSII Gy. Monasterienses. Sed jam pridem nos vocat ultimus MIKOLÆ primi filius KEMÉN vocitatus; ex quo veluti stirpe ultima tot summi homines, belli domique Clar. ac nominis æternitatem consecuti utramque nominis Hungari civitatem illustrarunt, quos quidem si per capita singula percensere velimus, infinitum sit. Quare modus per loci angustiam adhibendus est, et satis utique habendum, si facto delectu ex tam copiosa rerum ubertate, eminentissimas nonnullorum virtutes, brevi commemoratione prosequamur. Hic autem animos





mos in sese nostros sua statim luce præ reliquis merito converterit SIMON ille KEMÉNIUS, qui hac ipsa in Transilvania vitam ca-
putque suum, pro fortissimo maximoque sui ævi mortalium JOAN-
NE HUNYADIO atque adeo pro patriæ in præsentissimo discrimine
periclitantis salute, Deciorum instar devovere non dubitavit. Cum
enim anno post natum Servatorem MCCCCXLII potentissimus Tur-
corum ductor Mezethus infinitis copiis per Valachiam in has regio-
nes infusus, omnia ferro flammaque populatus, et ingenti præda ca-
ptivorumque sarcina onustus reditum pararet; non tulit quidem Hu-
nyadius inultam abire tantam injuriam; verum enim res longe se-
cus, ac sperarat, cecidit. Leviter enim a milite instructus spem
omnem in celeritate ponendam arbitrabatur, pugnaque ad vicum Sz.
Imre dictum temere conserta; ab innumerabili Turcorum multitudine
circumventi, vix saluti sue fuga consulere potuerunt. Neque tamen
eo secius animum Hunyadius abjecit, sed collecta manu tumultuaria,
hostem victoria exultantem persequitur. Ibi tum SIMON KEME-
NYIUS cum videret non Patriæ modo sed et Christianorum omnium
salutem in unius HUNYADII salute contineri ex eaque pendere;
commutatis armis, equo, habitu, simulat se pro milite imperatorem,
pro KEMENYIO HUNYADIUM, quare prælio commissõ; hostes
impetum omnem in personarum ducem convertendum rati, quod eo
sublato in manibus victoriam de Christi cultoribus universis habitu-
ros sese nulli dubitarent; casus quidem KEMENYIUS fortissime pu-
gnans est non minus atque Codrus alter, sic tamen ut barbari a
nostris, una cum Duce Mezéro ejusque filio, occisione occiderentur.
Sic itaque SIMON KEMENYIUS, sua morte HUNYADIO vitam,
hic vivus patriæ salutem conservavit, a nulla temporum longinqui-
tate ex annalibus oblitterandam! Alter idemque cognominis SIMON
KEMENYIUS prædicti SIMONIS virtutum ex assè sólidoque heres
gentem hanc nobilitavit sub clarissimo rege MATTHIA, a quo ob
admirandam compluribus in bellis fortitudinem abunde probatam,
publice SIMON MILES FORTISSIMUS, gentili sermone: Kemény
Vitéz Simon appellatus cum esset; ejus vocabulo velut alterum




cognomentum adscitum additumq. fuit nomen Militis, ut quemadmodum ipse SIMON KEMENY-VITÉZ, sic ejus posterī STEPHANUS, GEORGIUS et PETRUS duplici cognomine KEMENY-VITEZIORUM denominarentur, donec tandem in duobus PETRI KEMÉNY-VITEZII filiis, ut gens universa in duos veluti ramos diducta fuit, ita conflatum illud ex duobus cognomentum bifariam divideretur, unaque pars Viteziorum, altera Kemenyiorum appellationem veluti propriam et peculiarem sibi vindicaret. Ac VITEZIORUM quidem gens illustrissimum, magno decori et ornamento Patriæ nostræ, diu multumque perduravit: donec in eo novissimum sexus virilis, nostræ memoriæ homines, Ill. L. B. GEORGIUM VITÉZIUM Magyar Bikalensem viderent, quippe qui A. MDCCXXX vitam cum morte commutarit, relictis tantum tribus CLARA, ELIZABETHA et EVA filiabus. Longe vero prosperiorem fatorum benignitatem expertura Kemenyiorum propago, florescebat in dies latius, sic, ut summo tandem qui civibus haberi poterat, bonore quoque Principis cumulata fuisset. Paulo igitur post Cognonenti, quam prædiximus divisionem, aut non multo secus, in Kemenyis eminebat PETRUS KEMENYIUS cui nomen Magno fuit, septem filiarum parens, in splendidissimas Hallerorum, Apafiorum, Torotzkaiorum ac Danielorum domos, felicissimis avibus denuptarum. Quo tamen BALTASAR KEMÉNYIUS, ineunte seculo superiore duobus Transilvaniæ Principibus GABRIELI BATORIO et ejus successorī GAB. BETHLENIO Iktariensi a consiliis; multis nominibus commemoratione dignior videtur; propterea quod, et summum in Albenſi Comitatu magistratum, juxtaque præfecturam arcis Fagarasiensis magna cum laude gesserit, et e duabus conjugibus numerosa prole suscepta gentem Keményiam egregie collocupletavit. Prior enim conjux ANNA LAZARIA, germana soror matris Principum, GAB. et STEPH. BETHLENIORUM, peperit ex sese PET. KEMÉNYIUM, patrem PETRI et BALTHASARIS, a quibus duplex progenies ad seram ætatem decurrit. PETRUS enim pater fuit JOANNIS, avus PETRI, proavus JOANNIS; quemadmo-




*admodum BALTASARE nati, BALTASAR, ex eoque FRANCIS-
CUS, unde GEORGIUS, exstiterunt. Sed redeundum nobis est ad
magnum BALT. KEMENYIUM, qui amissa conjugē ANNALIA-
ZARIA, in matrimonio secundo, sane quam secundissimo habuit
SOPH. TORNIIAM, filiam THOMÆ TORNII, magni ea
tempestate hominis, qui et arcis Gyulensis præfectum egisset, ac de-
inde Lugosensis atque Karansibesensis Bani, quem vocant, dignitate fu-
isset condecoratus. Hæc mulier primaria peperit ei BALTASA-
REM atque JOANNEM filios, et sexus alterius Elisabetam, So-
phiam, Catharinam ac Petronellam; quarum SOPHIA convenit
in manum VAL. NEMESSII, PETRONELLA vero STEPH. A-
PAFIO desponsata, ante nuptias vita decessit. At ELISABETA cum
JO. SZALANTZIO nupta, mater ex eo fuit ELISABETÆ Prin-
cipis ACHA. BARTSAL conjugis. CATHARINA denique C. FRAN.
BETLENII Consiliarii Comitisque Albensis, aliisque honoribus ac
legatione perfuncti vitæ lectique socia, fecunda maritum subole bea-
vit, utpote mater Volfgangi, Alexii, Gregorii Betleniorum, quos
intactos præterire vel in tanta brevitate nefas sit. Nam VOLF-
GANGUS etiamsi ab ejus dignitate Senatoria, nec non magistratu
Albenfi discedas, æternum sibi nomen, genti, patriæ, peperit, histo-
ria notissima rerum in Transilvania gestarum conscribenda; filioque
LADISLAO BETLENIO Consiliario Regio procreando, quo patre
usi postea sunt Comites BETLENII FRANCISCUS, LADISLA-
US, LUDOVICUS atque GREGORIUS. Secundus porro CA-
THARINÆ KEMENYIÆ filius ALEXIUS BETLENIUS, tri-
um Transilvaniæ Nationum et ordinum in summo Senatu
Præses, Comes item citerioris Dioecesis Szolnokensis, e filio
ALEXIO BETLENIO avus fuit Exc. C. PAULI BETLENII,
Incl. Tab. R. judicariæ hoc tempore Præsidis, et S. C. R. M.
Conf. Act. Int. Tandem quod ad ultimum CATHARINÆ filium
GREGORIUM pertinet, ille vero in filio FRANCISCO defecit.
Sed ex hoc diverticulo iterum in viam, ad magni BALTASARIS
KEMENYII filios, matre SOFIA TORNIIENSI prognatos, BAL-
TA-*





TASAREM atque JOANNEM, unde abierat, narratio nostra re-
vertatur. Cujus quidem BALTASARIS KEMENYII C. Colofensis et
Sedis Udvarhelyensis praefecti militaris (:Capitaneum vocabant:)
aetas inciderat in id tempus, quo Princeps RAKOTZIUS posterior,
bello infelicissimis auspiciis contra Poloniam moto, omnem fere exer-
citum amisit; cui expeditioni cum interfuisset BALTASAR KEME-
NYIUS, in quadam ibi congressione praelii occubuit, germano fratre
JOANNE sibi superstite relicto. Qui etsi in captivitatem barbaro-
rum incidisset, ejus tamen custodie lugubrem vestitum, cum purpura
non ita multo post commutavit, Princeps Transilvaniae creatus, AÐ.
circiter MDCLXI. Hic ejus Principatus quamvis perbreui tem-
pore gestus, et eventu tristissimo fuisset clausus, cum tamen nulla sua
culpa sed suorum potius perfidia factum sit, ut desertus ab his,
omnia boni ducis et militis munia pariter obeundo, ceciderit; accep-
tam a majoribus militarem atque civilem gentis KEMENYIÆ glo-
riam, nova eaque fulgentissima luce perfudit ac implevit. Sed cum
res ab eo gestæ historiæ consignatæ monumentis in omnium mani-
bus legendo terantur, hoc loco verbum non est amplius addendum.
Tali ergo tantoque patre, et SUSANNA KÁLLAIA matre, FRANC.
et SIMON editi fuerunt, quorum quidem ille sine ulli sobole infata
concessit, hic autem SIMON KEMENYIUS sanguinem Principe
derivatum ad KEMÉNYIOS hodieque florentes fato benigniore trans-
misit. Ducta namque conjuge CATHARINA PERENIA, ex hac
non modo MARIAM KEMÉNYIAM sustulit, quæ maritum indepta
STEPH. HALLERUM Ordinum ac Nationum Transilvaniae Præsi-
dem, Comitumque Tordensis Provinciae, unde fulgentissima gens
HALLERIA longe lateque disseminata est; sed etiam tres summa
virtute filios, JOANNEM, LADISLAUM, SIMONEM KEMÉ-
NYIOS Gyerö-Monasterienfes. Atque ut hic jam ab ultimo ducamus
exordium, SIMON KEMÉNYIUS, cum ANNAM VAJIAM sibi
connubio sociasset, hæc illum Catharinae, Elisabethae, Christi-
nae, filiarum trium, et unius Adami filii patrem fecit; e
quibus CATHARINAM vir eminentissimus L. B. SIGISMUND.
BAN.



BANFIUS Lofontzenſis, S. C. R. & M. in Senatu Tranſſilvaniæ a conſiliis ſanctioribus, uxorem delegit, ELISABETHAM Ill. JOH. BARTZIUS in matrimonii fœdus aſſumſit; CHRISTINAM Ill. L. B. BALT. BANFIUS tori pariter conſortem ſibi copulavit; ADAMUS denique KEMÉNYIUS e matrona lectiſſima DRUSIANA RHÉDEIA prognatos vidit filios, STEPH. atque SIMON. KEMÉNYIUS, quorum hic Ill. L. B. SIMON KEMÉNYIUS cum in Tribunali publico Tranſſilvaniæ ad remp. acceſſiſſet, inde Comes Albenſis renunciatus, hoc magiſtratu Regio ſibi de mandato, laudanda hodie fungitur industria. Alter filius SIMONIS Principe nati, LADISLAUS KEMÉNYIUS, arcanorum in ſummo Senatu Tranſſilvanico Cæſaris Anguſti particeps, e CATHARINA Comite PEKRIA conjuge, progenuerat Exc. C. LADISLAUS KEMÉNYIUM, primo quidem Conſiliarium, mox Regium cunctæ Tranſſil. Gubernatorem. Hunc tantum virum parentem, et SUSANAM TELEKIAM, matrem habuerunt LADISLAUS, LAURENTIUS, atque Ill. C. VOLFG. KEMÉNYIUS, in eodem Senatu excelsiſſimo Anguſtæ Reg. M. Cons. qui hanc perſonam impoſitam ſibi cum laude tuetur. Atque ita nunc tandem ſequitur SIMONIS patre Principe generati primus natus filius JOANNES KEMÉNYIUS, ceterioris Dioceſeos Szolnokeniſis Præſes ſive Comes; et apud Regium cauſarum forenſium diſceptandarum Tribunal, quæ Tabula vocatur, judicis munere perfunctus. Qui ex matrimonio cum S. R. I. Comite ANNA TELEKIA inito, primo partu editum viderat JOANNEM, florida in ætate mortuum; Deinde SAMUELEM KEMÉNYIUM, qui vir inter viros factus et magnis virtutibus conſpicuus, nobilem Provinciam Doboceniſem Regio nomine fideliter adminiſtravit; Denique SIGISMUNDUM KEMÉNYIUM, Regio Tribunali Juridico Aſſeſſorem integerrimum, quinque liberorum, in quibus et noſtri beatiſſime defuncti, feliciſſimum parentem. AGNETA namque BETLENIA cum eo conjuncta mater fuit trium filiorum, GREGORII, NICOLAI noſtri, atque SIGISMUNDI; duarum item filiarum, CHRISTINÆ, quæ C. JOSEPHO BET-



LENIO Consiliario et Maramarósenſi Comitatu Praefecto; nec non SUSANNÆ, quæ L.B. FR. BÂNFIO R.T. Affeffori, ac deinde Comiti Krafenſi nupta fuiſſet. Sed cum hæc pervulgata ſint et omnibus cognitiffima, videlicet horum, quæ in Praeſenti vivuntur, temporum; nihil eſt ut in his perſequendis, aut in materno genere Divi noſtri NICOLAI altius repetendo nunc amplius commorari velimus. Quotus enim quiſque eſt, cui nobilitas et ſplendor BETLENIÆ gentis, oculos non perſtrinxiffet? Neque minus ex eis quæ adhuc allata ſunt, evidens eſt, hanc praeſtantiffimam BETLENIORUM Familiam, KEMÉNYIÆ genti, multiplici affinitate et cognatione jam inde ab antiquiffimis temporibus varie implicatam atque devinctam fuiſſe. Reliquum igitur eſt, ut quam breviffime fieri poterit, noſtri luctus argumentum, Illuſtriſſimum, dum vixit, L. B. NICOLAUM KEMÉNYIUM, Gyerö-Monaſterienſem propius contem-plemur. Natus igitur quo diximus patre Ill. L. B. SIGISMUNDO KEMÉNYIO Principis JOANNIS pronepote, matreque AGNETA BETLENIA Anno poſt editum Mundi Servatorem MDCCXXVII Prid. Non. Septembr. omni continuo cura parentum adhibita ad morum ſanctitatem, atque ut primum per aetatem fas fuit, ad artium ingenuarum initia quoque erudiri ac liberaliter educari caepit. Sed cum eſſet non amplius decem annos natus, patre maturius, utpote A. MDCCXXXIV decedente, incommoda vitae humanae ab extrema pueritia ſenſit ac toleravit. Neque tamen hæc eum orbitas adeo feſtinata a ſtudiorum puerilium curſu revocare potuit, quin eundem in percelebri apud Agropolim ludo literario tam diu continuandum putaret, donec vi peſtilentiae his in locis ſaeviente, Claudiopolim, ut iisdem ſtudiis porro quoque obſequeretur, ſemet contuliſſet; ubi tamen haud longo temporis ſpatio moratus eſt. Nec ita multo poſt, initio videlicet anni MDCCXLIII matrem pariter amiſit; ſed etſi utroque fuerit orbatus parente, vicem tamen ei patris penſabat ante matris jam obitum, patruus Ill. L. B. SAMUEL KEMÉNYIUS, Comes Dobocenſis, qui tamen non eum patruo rigore ſed paterno potius amore ac indulgentia, per quatuor quos apud ſe degebat, annos complectebatur, inque filii loco habebat; cujus viri virtutibus coram contemplandis plurimum haud dubie profecit. Ad matrimonium ineundum adjecit animum annos natus magis triginta,



ta, quod ei bene, feliciter, fortunate, planeque ad votum divinitus evenit. Cum enim III. C. CHRISTINAM VASSIAM Tzegeienssem, feminam omnibus sexus sui virtutibus ornatissimam domum duxisset; in ea conjugem reperit ex animi plane sententia, quacum concordissime, tres et viginti annos vixit; adeo ut omnem humanae vitae felicitatem, inter tot adversa et acerba, quae pertulit, in hac una se invenisse, praedicaret. Hæc tanti matrona exempli, septem ei carissima conjugalis amoris pignora dedit; ANNAM, CHRISTINAM, JOANNEM, NICOLAUM, SAMUELEM, JOSEPHUM ac DANIELEM, quorum certis praematura morte sublati, duo solum modo superant, III. L. B. CHR. KEMÉNYIA III. C. PAULI BETLENII P. F. altissimum dignitatis militaris gradum tenentis conjux; et III. L. B. SAM. KEMENYIUS, Gy. Monasteriensis, summo ingenio et eximia prorsus indole adolescens; ornamentum haud vulgare, praecipuumque decus splendidissimæ genti, atque adeo cunctæ patriæ daturus; pro quâ re cum una mecum omnes boni vota nuncupant; utinam nos D. O. M. hujus voti reos atque damnatos facit! Postremo quod ad imaginem consuetudinis atque vitæ beatissimi NICOLAI nostri pertinet, tantis ille bonis animi ante alios excellebat, ut jure quodam suo Viri Boni cognomine dignissimum sese perpetuo praeberet. Nullae in eo fraudes, nulla scelera maleficiorum; nihil cuiquam, quod in se transferret, detrahebat; quin proderat quibus poterat omnibus; nocebat nemini, ne quidem injuria lacessitus. Modestia, gravitate, prudentia, liberalitate, continentia, clementia, patientia, eximieque lenitate ac mansuetudine tanta, ut in ejus familiam certatim confluerent omnes, eique libentissime servirent, quod est signum excellentis in eo bonitatis ac moderationis. Jam vero quid ego hujus pietatem adversus Deum pluribus persequar, cum constet universam ejus domum Christianæ religionis et probitatis officinam fuisse? Neque tamen tali viro invidi et obrectatores male feriati deesse potuerunt; et a quibus omnium minime debuit, toto vitæ suæ curriculo plurimis acerbitatibus indignissime divexatus, horum injurias aut excelso animo concoxit, aut eorum machinationibus et insidiis, suâ prudentia et ope divina sese feliciter emerfit. Ad remp. nunquam accessit, quanquam sive fidem erga suum Principem sive alias virtutes ad eam optime sapientissimeque administrandam ponderare velimus, nemo unus Patriæ civis dignior inveniri potuit ad quemlibet magistratum, summo cum egregii publici fructu gerendum; id quod nemo dubitat, quicumque viri indolem peni-



ens habuit exploratam. Sed nimirum homini antiqua virtute et fide
iis artibus, quas ambitiosorum et prensantium natio venandis in rep.
honoribus adhibet, uti minime placebat. A qua ratione cum et natu-
ra ipsa abhorreret; honestum otium, quietem ac tranquillitatem, civili-
bus fluctibus malebat; cuius voti, si per inimicos liceret, compos eti-
am factus omnino fuisset. Sed tamen vel sic ex vero affirmare possu-
mus; beneque vixisse, cum et vita humana malorum expersomnium nulla
sit, et, quod Seneca eleganter dixit, bonum virum Deus in deliciis
non habet; experitur indurat, sibi illum praeparat; quae Christiano
sensu pariter accipere licet. Valetudine, praesertim extremis vitae an-
nis, non satis firma sed debilitata fractaque utebatur; atque in cor-
poris paulo habitioris imbecillitate, pectoris angustiis et perpetua res-
pirandi urgebatur difficultate; cui quidem e corpore ita facto et af-
fecto tollendae nulla medentium ars sufficiebat. Et quamvis alioquin
cibi ac potionis appetentiam moderatam amisisse haud videretur, ma-
joris tamen aliquid mali subesse argumento erat somnus identidem de
improviso, nullam ob causam, vel vescenti vel etiam stanti obrepens;
qui tandem eum, de more vestitum et in sella sedentem, hoc A.
MDCCLXXV. XIII. Kal. Maj. paulo ante meridiem perpetuus oppres-
sit. Atque ita vir sanctissimus, integerrimus, optimus, animam placide
et sine ullo mortis sensu exhalavit, vitaeque pie et innocenter actae fi-
nem felicissime fecit. Patroni clementissimi optimeque meriti memo-
riam Ill. Gymnasium Ref. Agropolitanum, hoc qualicumque carmine
concelebrare L. M. Q. voluit.




Ir bonus, & qualem consultus Apollo repertu
Haud facilem docuit, multisque e millibus unū

Vix tandem inveni, coecis licet ille sub antris
Cernere cuncta hominum momento posset in uno,
Rara avis est, ovoque minus progignitur omni.
Omnia Grajorum quamvis monumenta revolvās,
Perpaucos animi videas probitate Solones.
Aut illi similes, Regis qui dona Philippi
Respuit. Actæo sub carcere quique cicutas
Ferales hausit letus. Sine crimine quemque
Testa nocens patria pepulit, quod nomine Justi
Ante alios ferri cuperet, Romana vetustas,
Illa quidem fortasse queat numerare Catones,
Et curios plures; Fabia de gente vel illum



B 3

Afferro



Affore dicebat veluti de nube procellas
Unde sibi Poenus. Bonitatis honore sed omnes
Numinis Idaei longe superaverit hospes.
Forte Jovis, mentes hominum, portenta per urbem
Terruerant, gemini soles, fulmenque tremendum,
Horrendi strepitus exauditique fragores.
Nec mora, Cumanæ carmen fatale Sibyllæ
Inspicitur bis quinque viris, responsaque dantur:
Matre cares, Matremque tibi Romane, require,
Adveniens sed erit casta, de Tybridos undis
Excipienda manu. Patribus sententia fortis
Obscuræ nunquam satis intellecta patebat.
Consultur Poen; Matrem jubet ille Deorum
Idæo de monte domum, Romanque referri.
Mittuntur Proceres Phrygia tellure petitem
Adductumque Deam; pictis quæ in vecta carinis,
Ostia jam Tusci fuerat subitura fluenti.
Cum gravis ingenti cura rogitare Senatus
Cæperat, in tota quisnam foret optimus Urbe,
Illius ut manibus genitrix accepta Deorum,
Innocue posset muros intrare Quirini.
Judicio cuncti, solus Nasica, Senatus,
Optimus ante alios populo reperitur in omni
Romulidum, dignusque Deam tractare putatur.

Tem-



Tempore si nostro parilis commota fuisset
Quæstio, de patriæ quisnam modo civibus unus
Scipiadae similis vitiorum labe careret;
NICOLEOS KEMENYINUS erat cui palma daretur.
Sive genus spectes priscis maioribus ortum;
Innumeri numerantur avi; de Principe sanguis
Ducitur ingenti; cedat nasica vetusto
Stemmata, concedat Cornelia tota propago.
Abstulit illius quod Iberia sæva parentem,
Perfidus Ausonias cum frangeret Annibal urbes,
Non tamen huic æquandus erit; qui mille priorum
Pro patria effudit, nullo dubitante, cruores.
Sed quoniam virtute bonos metimur & actis
Non generis splendore viros; alienaque turpe
Facta in post genitos, esset, transferre nepotes;
Ipsa viri virtus, vitæque exempla docere
Qui fuerit, debent, justasque rependere laudes.

Principio, rectos superis de rebushabebat
Naturaque Dei, generoso in pectore sensus.
Ingenerant quales sacrata volumina CHRISTI
Mentibus humanis coelesti lumine tactis.


Istorum haud similis, sua quos sapientia demens
Abstulit in præceps, noctique addixit opacæ.
Namque ubi se solos sapere atque videre putarent,
Indu-



Induxere animos stolidi Ratione tumentes
Auctorem CHRISTUM fontemque negare Salutis
Aeternæ, & quicquid divina oracula pandunt.
Longe alia in Nostri steterat sententia corde,
Cui nihil in vita potiusque priusque fuisset
Religione, Dei scriptis & numine libris.
Hos versare manu raro cessante solebat,
Hinc normamque suæ rectam depromere vitæ,
Quæque forent fugienda bonis, faciendaque contra.
Atque fides etiam veris quibus esset habenda,
Pagina sacra virum satis una superque docebat.

Hinc in eo junctim sedem chorus omnis habebat
Virtutum propriam, vix ut mihi dicere detur
Principe quæ memoranda loco, ponenda supremo
Quæque sit; Illa sacrum ducat tamen agmen earum,
Proxima quæ Superis mortalia pectora reddit,
Persimilesque Dei lutea compage revinctos
In terris animos coelestibus inserit astris.
Hæc prædulce gerit virgo Clementia nomen.
Ipsa etiam, quamvis pugnantia, pace ligata
Hæc elementa tenet mundi; coelisque relictis,
Tota viri corpus mentemque infederat hujus.
Nam quis eo potuit poenarum parcior unquam
Esse? quis in fontes erat ignoscentior alter?


Non



Non odiis certare sed integritate paratus,
Sæpe licet dentes in se pateretur iniqui
Livoris, peracerba ferens indignaque multa,
Nobilitate tamen cuncta hæc concocta remisit
Plus quam Spartana. Nec enim Clementia turpem
Vindictam sineret secum una in sede morari.
Quin neque flammato vultu rabieque rubenti
Irarum, quamvis injuria magna, notare
Hunc poterat; lenem contra placidumque videres
Perpetuo; motusque animi sub corde prementem.
Nec tamen idcirco lentum ignavumque vocares,
Semper iter medium sed cum ratione tenentem.
Asperitas aberat, simul indulgentia longe
Prava faceſſebat; modus ex utroque retentus
Temperie media juſtas ſtringebat habenas.
Sic famulis dominus miſto metuendus amore,
Et natis verus pater apparere ſolebat;
Vt foret ambiguum, magis an vereantur amentne?
Tanta viri bonitas paſſim vulgata trahebat
Illecebris ad ſe validis genus omne clientum.
Non opus hic ſervos vinclis retinere catenæ,
Carceribus claudive fuit; nec oportuit unquam
Quærere ſollicito, velut eſt quaſita, labore
Filia Perſephones, nullo tamen orbe reperta.

C

Spon




Sponte sua, minus acciti, parere volentes
Certatim huic domino currunt, lætique ministrant.
Quid vicos memorem totos, qui rura colentes
Servitio oppressi misero, juga ferre tyranni
Cum detrectarent immania; mite subire
Imperium nostri votis cupiisse libenter?

Altera jam nobis præbet se Diva videndam
Templa tenens eadem, germanæ adjuncta forori
Sancta Fides; priscis mortalibus illa frequenter
Culta; sed hoc ævo rarissima; quippe latere
Cogitur, eque hominum centenis millibus uni
Vix hodie conspecta vel est auditaque fando.
Vera loquar; nemo est magnæ qui non sibi laudi
Turpia fallacis ducat mendacia lingvæ.
Fraudibus atque dolis sunt omnia plena, Deorum
Sacra colit nemo, nisi qui cupit esse videri
A populo sanctus; qui prætulit utile honesto.
Denique cui ficto veræ pietatis amore,
Verba dare est animus, stolidoque imponere vulgo.
Jam vero quibus est adeo deludere Divos
Pro nihilo; quid non illos audere putemus?
Nam quid amicitiae jucundo foedere terris,
Sanctius, & tanta cum religione colendum
Dii concesserunt? quotus est modo quisque sed inter
Mor-



Mortales, cui non pedibus calcata jaceret
Omnis amicitiae conjunctio? quive tenacem
Constantemque fidem juncto sibi praestet amico?
Scilicet in primis huc se simulatio veri,
Humani generis certissima & unica pestis
Inferit, & vapido vulpem sub pectore gestat.
Qua duce nunc & initur amor, servatur & idem.
Impia, nam blando fraudem praetexere risu,
Ac laeta celare gravem sub fronte dolorem,
Mox contra gemitum lato de pectore tristem
Edere; quin etiam lacrymas non sponte cadentes
Invitis docet ex oculis profundere; verbis
Semper ad arbitrium sic, ut jubet ire coactis.
Ergo ubi tuta Fides? quo condita corde latefcit?
Illa hac aede sibi constantem nata quietem,
Inde viri cunctis hujus regnabat in actis.
Qua sine non unquam quicquam suscepit agendum,
A puero sincera solens ac vera referre,
Falsa loqui nunquam. Si quid promitteret, ejus
Et memor & praestans; ratus hoc nil foedius esse
Quam spondere aliis, nunquam quae reddere cures.
Ipsa e fronte legi poterat quid corde foveret,
Non aliud lingua promens aliudve recondens
Pectore; certa suae mentis nota vultus ut esset.

Quip-



Quippe animus illi contra sua secula rectus,
Fraude vacans, fucove carens, artisque dolosæ
Nescius, & falli potius quam fallere ducens.
Hac & amicitias, ceu firmo adamante, ligare
Sveverat ille fide; Constanti lege colendas.
Hæc eadem Magnes fuerat virtute marito,
Qua sibi CHRISTINAM, Ferri cognomen habentem,
At mores auri ductos meliore metallo,
Et quicquid lapidum legitur de litore rubro,
Vincentes; captam veluti connecteret arte.
Quin neque Magnites blandis ita viribus adse
Attrahit arcani miro spiraminis actu,
Atque sibi, ferrum, rapit, accurrensque maritat,
Foederis ignoti nodis & amore retentum;
Quam sibi NICOLEOS fidei per vincla jugalis
CHRISTINAM vitæ sociam lectique tenebat
Astrictam; talique aliud de conjuge questam
Nil unquam, nisi quod raptus modo morte fuisset.
Ille etiam contra, quid sit vixisse beate,
Hanc nisi Divorum manifesto munere adeptus
Duxisset, se scire unquam potuisse negabat.
Inque hac optatam curarum mole gravatus
Sæpe fatebatur sola reperire quietem.
Illa viri castum septem signarat amorem

Pignoribus caris; sexu e meliore sed unus
Ex illis superat, tantum tamen instar in uno est,
Multorum ut merito videatur morte redemptus.
In quo spes steterant, & amor & cura parentis
Dum fuit in terris; nec eum spes ista fefellit.
Talis inest puero sancti genitoris imago,
Tantus in ore pudor, fidei, pietatis amorque;
Ut scires animum non astra petisse paternum,
Sed juvenem in nato circum modo ferre figuram,
Corpore qui fuerat clausus formaque senili.
Huic Natura parens penetrabile mentis acumen,
Ingenii motus celeres, acremque vigorem
Indidit; ac veluti siccis ubi corripit ignis,
Momento stipulas, sonitu crepitante, perurit;
Haud aliter, quæcunque hausit dictata magistris,
Aut libris, oculo rapuit subiecta, legendis,
Fixa animo memorique hærent in mente reposita.
Jam trifidæ volvit Sophiæ decreta, simulque
Euclidis ducit radios in pulvere docto.
Quid quod ab ore sonat pariter sermoque latinus
Teutonicusve, gravi discendus uterque labore?

Haætenus hæc. Nato patrem cane, Musa, relicto.
Inque viam, de qua paullum digressa fuisti
Fac redeas; seges est amplissima laudis in illo

Mate.



Materiesque super. Nec enim transire decebit
Justitiam, quæ fas quæ jus servare jubebat.
Et legum præscripta sequi; sua reddere cuique.
Utilibus stabili studio præponere honesta.
Non ita Grajo homini curæ hæc cordique fuerunt,
Qui vetuit furtim Persarum incendere classes
Ut patriam potuit magno expedire periculo.
Hostibus hoc pacto fractis opibusque minutis,
Urbe sua ancipiti dubioque timore levata.
Ille faliscorum pueros tradente magistro
Redderet; ac medicum manibus post terga retortis,
Spondebat tacita qui tollere tabe Molossum,
Huic ipsi domino regique remitteret ejus,
Fabriciis æqui studio par atque Camillis.
In partes etiam patrimonia cuncta secari
Nam voluit justas; si denormasset agellum
Angulus ille vel hic, non tristior inde redibat.
Divitias et opes nihilo minus alma rependit
Terra viro, justisque albebant messibus agri,
Et gravidi montes Lenæi munere patris.
His bene contentus, nihil invidebat habenti
Plura; nec argenti sitis insatiabilis illum
Ursit, Avaritia procul inde facessere iussa,
Quæ multos coquit, insanaque cupidine torquet.
Nam



Nam reputans, dare quam, quanto accepisse beatum
Sit magis; e larga tribuebat dona per omnes.
Munificave manu multos faciabat egentes,
Haud tenebris damnato auro, impensoque vicissim
Molibus in coelum ducendis, atque superbo
Vertice sublimem procul irrumpentibus æthram.
Missile nec quamvis, populo rapiente, pluisset,
Utiliora tamen manus hæc fundebat abunde,
Quam quibus abjectæ plebis favor, auraque vulgi
Captetur, prensæque manus, de more, potentum,
Nempe mala omnino procul ambitione remotus;
Sed si templa Dei jamjam ruitura videret,
Sive novem delubra essent condenda fororum
Thespiadum; vel si cultor foret ullus earum
Aeris inops alio mittendus sole calentes
In terras, melius florent ubi Palladis artes.
Denique nullus ab hoc non consolatus abibat
E tantis, quicumque fores pulsaret, egenis.
Luxuries alios effeminet' alea fallax
Et pernox teneat, male partas perdat opesque.
Iste sibi posito, noctes traducat inertes,
Pervigiletque mero; putri convivia luxu
Curet; edat, potet, pergræceturque, valentes
Advigilans stupris hebetet caligine sensus,

Et



Et faciat quicquid malefvada libido tulisset;
Alter honorandos circumpositurus amictus,
Veste suæ gentis spreta fortisque rejecta,
Aere suos alieno exhauriat ipse nepotes,
Talibus & meritis vulgo cantata feratur
Fabula perque urbes per compita, digna cachinnis;
Hisce voluptatum non irretitus ab hamis
Non modo Noster erat; summo quam distat Olympo
Umbrarum locus in Ditis regione silentum,
Tam discedebat; tanto & meliora secutus
Cum tota ipse domo, nulla unquam labe notata
Ac scelerum immuni vel suspicione malorum.
Sacra Bonæ qua rite Deæ celebrata fuissent,
Quamque sibi optasset tetrica cum Pallade Mater
Vesta, ignem solitæque sacrum servare puellæ,
Flagitii poenas horrenda morte luentes.

Sed quæta pars, animi leviter memorata bonorum
Hactenus est, quibus effulsit sanctissimus heros?
Non opis est nostræ per singula currere lingvæ,
Nec satis oris adest; parili sermone sonare
Conantem, subito vires carmenque relinquunt;
Si calamo strepitare levi vel arundine pergam,
Deterat egregios, modulator ineptus, honores.
Hanc tamen in partem, quoniam peccare necesse,
Peccan-

❦ ❦

Peccandum potius; nec gloria vana canentis
Quaeritur; hunc maneat decus inque redundet eundem.
Vera referre juvat; grandi suffulta cothurno
Sint procul; his falso tollantur in alta superbi,
Quo vixere modo, simili laudentur & ore.
Noster enim fastu nunquam turgebat inani,
Nube supercilii neque despiciebat ab alti
Mortales, nullis etiam majoribus ortos,
Atque loco natos humili, cuicunque licebat
Affari, & solita cum libertate loquendi
Sermones miscere, jocisque aspergere honestis.
Atque rogare, rogataque respondere vicissim.
Candida simplicitas narrantis ab ore fluebat,
Cauta gubernaret tamen ut prudentia linguam,
Evitans ne forte quid effutiret ineptum,
Aut salibus, quemquam, nimium mordacibus usus
Laderet, ignarus miscendi felle lepores,
Facta vel absentum Theonino dente petendi.
Illa venenato veniunt e fonte fluenta,
Perlita nigranti sunt quorum pectora succo
Aequore deserto piscis per inane volantis.
Peste carens tali vitam KEMENYIUS agebat
Nulli hominum factis, nulli dictisve nocentem;
Vir bonus ad normam plane perfectus & unguem,
D
Iudice

✿ ✿ ✿ ✿ ✿ ✿


Judice sed CHRISTO bonus, haud Zenone magistro.
Ignoscebat enim, miserebaturque, nec omne
Delinctum scelus, et pariter peccare, putabat
Qui patrem, gallumve neci letoque dedisset,
Supplicii haud similes poenas ab utroque reposcens.

His ubi tam sanctis vitam virtutibus omnem
Ornasset, superoque viam munisset Olympo,
Quid fuit optandum potius, quam sine beato
In terris clausa liceat discedere luce?
Idquod si merito divinitus accidit ulli,
Contigit huic Nostro, placida requiete soluto,
Non morte extincto; nec enim mors illa putanda est,
Sed vel grata quies fesso, vel blanda soporis
Munera, nocte graves animi pellentia curas.
O divine senex, quam te mea Musa libenter
Concelebrat, moresque tuos! quæ testis & ipsa
Virtutum præsens fuerat persæpe tuarum.
Eximiasque adeo tenui modulamine laudes
Si tetigit, nulla ducit sibi parte verendum
Turpis adulatrix, mendacis & oris haberi.
Nec metuit ne rem celebrari carmine dignam
Materiamque sibi non sumserit. Illa profecto
Maxima non tantum sed sola atque unica laus est,
Quam pietas quam vita insons & criminis expers,
In




Integritas animi, mores rectique merentur.
Non bello domuisse orbem, gentesque remotas
In iustis vicisse armis; fudisse cruores
Immensos nomenque sibi peperisse per artes
Inflantes animum vano rumore tumentem,
Quæ faciant digito monstrari & dicier, Hic est.
Ipse fatebatur quo se gaudere susurro
Vertice aquam portantis anūs, Demosthēnes olim
Immanes tamen hæc præconia ferre latrones
Et quos cuncta tegunt instanda piacula, possunt.
Ergo viri fortis nomen doctique tuentur,
At nulla ratione boni, si vera loquamur
Sive sit exacta virtus trutinata bilance.

Sed quoniam exuto mortalis corpore vitæ
Coelestem Noster tetigit novus indiges aulam,
Inter et astra locum merito sortitus apertum
Unde mare & terras, fluvios despectat & urbes,
Quosve sibi caros habuit dum vita manebat;
Hinc mihi fulgenti circumdatus ora nitore,
Apparere suis forma majore videtur
Humana ante oculos, ac talia dicta referre:
Desine jam lacrymis fidissima & optima conjux
Ossa mea & cineres urgere fidelibus usque.
Viximus, & quantum Deus ac natura sinebant



Floruimus; per nos suboles fuit addita genti
Pulcra meæ; Nostro de sanguine nata superstes
Teque aviam me fecit avum. Communis utrique
Natus adest (multos utinam victurus in annos
Adsit!) in hoc mea viva tibi superabit imago.
Hic referet virtute patrem; quotiesque videbis
Hunc tu, me toties in eo spirare putato.
Quemque probavisti nobis ambobus amorem,
Ille habeat solus, totum modo confer in unum.
Hic, modo vivat, erit rerum tutela tuarum,
Atque ubi mox faciem tibi ruga senilis ararit,
Hoc eodem poterit requiescere tuta senectus.
Invidia quod nobis festinaque fata negarunt,
Ex illo ostendent tibi, prosperiora, nepotes.
Pone modum lacrymis igitur dulcissima consors,
Ac noli miserum, penitus nullumve putare.
Sum certe ac felix, longeque beatior illo
Qui fueram donec mortalia vincla gerebam
Corporis, ut nosti semper mala plurima passus.
His ego jam curis, longe super astra remotus
Liber ago, lætusque fruor sub Principe CHRISTO
Gaudia tanta animi, quæ nec mea verba referre
Nec mens ulla queat fragili cognoscere sensu.
Quam tenui in terris non est ea vita vocanda,

Quin



Quin potius miseræ complebit nomina mortis.
Certe ego nunc vere videor mihi vivere primum.
Occæpisse, diem cum vos censetis obisse.
O tibi fas esset puncto si temporis, uxor,
Hæc bona quæ teneo summis libare labellis,
Ut minimi faceres, quæ tam miratur amatque
Humanum genus! Ut cuperes excedere primo
Tempore quoque illinc, ad meque venire volando!
At nemo ante diem, vitæ statione relicta,
Evaluit fixum fati numerosque solutos,
Hic ubi nunc ego sum sedes habitasse baetas.
Quare age cujus adhuc vitæ studiosa tenorem
Servasti, hæc eadem vestigia perge sequendo.
Tempus erit, cursu, quo tu quoque rite peracto,
His mecum in templis æterna pace fruire.
Nunc tibi commendo communia pignora, proles.



Filia, tu juveni jam pridem nupta marito,
Ante oculos cum sint exempla domestica vestros,
Nil opus est aliena petas, modo respice Matrem.
Hanc imitare libens, cunctis hanc exprime factis.
Hujus tu mores, quod agis, sectare pudicos.
Hujus ad exemplar sat erit vel amare maritum;
Vel quoscunque ex te paries, educere natos.
Quam si audire voles nunquam te devius error



Præcipitem dabit, & nunquam non recta sequeris,
Digna domo nostra hac semper ratione futura.

Denique, dulce meum vel post mea fata levamen,
Nate, tuæ genti decus addite, summa voluptas
Qui mihi semper eras; jam te quoque voce suprema
Alloquor, & quando moriens mandata dedisse
Non potui, hoc saltem vice patris tempore fungar.
Huc ades, & cari bibe nunc præcepta parentis
Auribus arrectis, animisque & corde reconde,
Care puer, quæ te præstent servata beatum.
Degere quo liceat pacto feliciter aevum,
Haec facito teneas imis inscripta medullis:
In primis venerare Deum, cole sacra. sed ante
Scire opus est qua sit Numen ratione colendum.
Ipse sui cultus leges tulit, ipse viamque
Quam teneas, CHRISTO duce, commōstravit apertam.
CHRISTO igitur CHRISTO sapias doctore, nec ullum
Posse puta cultum superis deferre placentem
Hoc sine te. Præcepta legas, meditere frequenter
Illius & monitis mores compone magistri.
Teste quod ipso te memet fecisse, triumpho.
Unum illud tibi præcipue, præque omnibus unum
Prædico, repetens iterumque iterumque monebo;
Nulla tuam retro vertat Sapientia mentem

Hu-



Humanis concepta animis & nata cerebro.
Neu fallare vide, speciosa vocabula fronti
Præscribat licet illa suæ; desiste moveri.
Occultum latitat penitus sub ventre venenum
Doctrinam inficiens veræ pietatis & haustu
Mortiferum virus circa vitalia fundit.

Ergo si qua fides patri, si vera momenti,
Hos tu præsertim scopulos vitare memento.

Deinde licet nemo procerum generosior est te,
Nullus imaginibus magis illustratus avertis,
Nobilitate quidem nulla mercede coëmpta,
Nec factis auro proavis, verum ordine longo
Magnificum titulos retro numerare vetustos
Majorum poteris; siqua est ea gloria; sed tu
Sanguine cenferi non tam gaudebis avorum,
Quam propria virtute tuos superare parentes.
Ingenium splendore premi committere noli
Nominis ac justo librabis pondere lances.
Quo magis antiqua genitis de stirpe fuisti,
Hoc majore animo decet incubuisse labori.
Turpe puta sola te nobilitate tueri,
Quod viles animæ faciunt, luxuque fluentos
Deside; nec nisi quæ nunquam fecere crepantes.
Sperne voluptates, nunc est tua navis in alto,

Sine-



Sirenesque ratem cantu retinere laborant.
Tu malo affixus vel ceris oblitus aures
Effuge, nate, dolos. Nec tu bibe pocula Circes,
Pascere vel loto; nec sint tibi causa doloris.
Contemplator apes, quam dulcia mella propinent,
Triste sed exiguo spargant de corpore vulnus,
Non alios spondet fructus malefana voluptas.

Quandoquidem necdum tibi venit adultior ætas,
Vix aliquot supra decimas emensus aristas
Cum fueris; duros ego nec præscribo labores
Nate, tibi. Satis illud habens si mollibus annis
Institeris Musis, quæ mox imitere legendo.
Quæque voluminibus monumenta recondita præcis
Asservat vel Graja vel & Romana vetustas.
Temporis hæc testis, veri lux, atque magistra
Fac tibi sit vitæ, nihil est jucundius illis,
Nec simul utilius. Mirari parce proterva.
Jurgia, inexplicitos frustra neſtentia griphos
Quæ docet ars pugno similis. Tam pauca redundant
Unde bonæ frugis, leviter gustata relinque
In meliora animi vires ac tempora fumens.
Mox ubi jam firmata magis successerit ætas,
Accrescetque animo rerum prudentia major,
Ire peregrinas si forte juvabit Athenas,

Inde

Inde cave scelus ignotum moresque reportes
Pro virtute malos; velut, impietatis amorem
Contentumque Dei; vel quæ memorata pudorem
Incitant. Ritus populorum ac jura notabis.
Sunt artes, quibus ingenium limabis, honestæ.
Doctrinis igitur patriæ te redde politum,
Non vitiis corruptum aut ambitione refertum.
Ante tamen patrios fines excedere nollem,
Hospes et esse domi pariter videre forisque,
Quam tibi sit gentis ratio bene cognita vestræ.
Ante lares permulta licet prædiscere longe
Commodius; nec erunt alia tellure petenda
Quæ propriis nascuntur agris; hortique ministrant
Contigui ferme herentesque penatibus ipsis.
Disce igitur quocunque loco, didicisse quod olim
Ne te poeniteat; vitæ quæ flagitat usus
Præsentis pariter, poscit pariterque futuræ.
Sed quid, quove modo discendum; consule doctos,
Non modo de libris sapientes atque magistris,
Quos sine judicio stulte admirantur, adorant,
Longe ipsi magis ac tu consultoris egentes
Neu qui judicio vulgi mactantur honore
Doctorum. Semper malus arbiter esse profanum
Svevit et a vero nimium discedere vulgus.

E

Ufi-



Ufibus edoctos longis, rerumque peritos,
Maturisque ætate viros; animique subacti.
Consiliis adhibe quorum dictata sequare.
Quid præjudicium possit, quid opinio rerum
Anticipata animo valeat, vix credere, ne vix
Nate, quidem te posse putem, si prodere pergam,
Tam vasto sed nolo mari committere puppim.
Adde quod ut capias vereor, quod tempus & ætas
His minus apta tua est. Illud superesse monendum
Arbitror, Annales patriis de rebus agentes;
Haud abs re fuerit teneris replicare sub annis,
Præsertim tibi; majorum qui gesta tuorum
Invenias illic pulcherimma multa relatu.
Hinc evolve duces priscum paulisper in ævum
Te refer, & veterum faciem quoque respice rerum.
Magnanimos lustrabis avos, dextramque potentem
Invictas belloque animas cognosce priorum.
Pectora miraris morti devota? Ruentes
Non Decii non Codrus erunt, neque Curtius ille
Quærendi. Duros propria de gente SIMONES
Obstupuisse tuos, & despexisse Laconas
Jure queas merito. Vis tu laudare fidelem
In Reges animum? Princeps documenta JOANNES
Certa dabit. Testes Cæsar LEOPOLDUS & alta
Austriaca de gente satis patriæque parentes.

*** ***

Illius meminisse velis, neque ponito quidquam
In vita ante fidem Regique Deoque ligatam.
Quæ temerata semel, nulla redimenda bonorum
Congerie fuerit. Labes contracta nec ullis
Perfidiae, mergere licet, delebitur undis.
Denique sunt alii plures bellicque domique
Hac de gente viri fortes, super æthera noti,
Quorum facta voluptatem tibi ferre legenda
Quamvis non imitanda, queant. Hos inter & illi
Qui *Bellatoris Duri* cognomina habebant,
Fulmina quod belli violentis cædibus acres
Turcorum obruerint populos; scit sæpe cruentus
Sanguine caesorum Marisus, testatur & Ister.

Caetera jam tandem nunc adpraecepta venire
Tempus erat, morum; nisi te natura modestis
Ornasset; prorsus nihil ut reprehendere jure
Inte ego, ni me animus fallit, vel amore paterno
Abripior, passim. Restat carissime rerum,
Perpetuo maneat idem. Mens cerea flecti
Sit procul in pejus, Crescet cum corpore virtus,
Tu modo fac duces, committe perire nec unquam,
Excubat ante genas qui nunc tibi, nate, pudorem
Atque hunc, in, tabula ingenuus qui frontis honestae,
Praelegitur candor atque optima quaeque minatur.

✻ ✻ ✻ ✻ ✻ ✻ ✻

Jamque valete omnes longum; memoresque parentis
 Carae animae, vestri, lumen vitale videte.
 Sit facilis vobis Deus, ac feliciter ævum
 Degere vos faxit, tandem præstetque beatos!
 Namque mihi non ulterius concessa facultas
 In terris remanere fuit; Mortalia curæ
 Nulla mihi jam sunt; animis jam jamque videntur
 Effluere e nostris. meliora subire vicissim
 Incipiunt; superas urgentque revivere sedes,
 E quibus infernas fueram tantisper ad oras
 Depressus, luna longe procul inde micante.
 Aspiciate! en iterum sed nunc super aethera tollar!

F I N I S.

